

DANIELIS
EITHNERI

Wolâ - SilesI
EPIGRAMMA-

TUM
Fasciculus. AD
BIBL. UNI
MONAC.



LIGNICI
Typis Sartorianis.
A.C. 1616.

f

VIRO Spectatissimo atq; prudentissimo
Dno. STEPHANO HENRICO,

Senatori

Lib. Neostadiensem Reipubl. dignissimo;
ut &

Reverendo, humaniss. & doctiss. Viro
Dno. PETRO SCULTEO, Wolâ-Sil.

Diacono ibidem fidelissimo;

Illi Adfini; huic Amico summâ animi submissi-
one in perpetuum colendis: utriq; Hospi-
tibus suis quatuor quasi annos
benignissimis.

QVI novit socii fruges absumere ruris,
Atq; has vicino reddere nescit agro;
Hunc manet ingratum mortalis nomen Alumni.

Ut Comœda mei vox Molitoris ait.

Sedule Neustadiæ custos, HENRICE, Diana;
Idem ad juridicum Sessor honore forum.

Sic pie Theologæ splendor, SCULTE, Minerva;
Insuper Aonii pars per amœna chori.

Et me præteritò messorem tempore vedit
Sol stricta vestrum tundere falce solum.

Hinc ne Plautino dicar fors improbus ort,
Cum quodam ablatas fœnore reddo manus.

Scilicet hanc grati paullò cum carmine Mentem
Pro vestris Mensæ mittito deliciis.

Quos ut amicò etiam cernatis lumine versus,
Per Phœbum rogitat nostra Thales, a Patrem!

DAN. EITH.



Utpotè præfato Phæbæum carmine fætum
In mea jussurus tecta redire domus.
Sed mea cum subeo rugosò pallia tergo ;
Sentio de Clariò talia saxa deo :
Quis te, queso, hodie tantos furor armat in ausus ?
Tunè meo properas fumus obesse Coco ?
Qui fors morbiloquas Naturæ consulit undas :
Aut scribit medicæ pharmaca sana manu.
Ergo tuò, Juvenis, cupias desistere cœptò.
Non licet hunc quovis tempore adire Virum.
Protinus audit iussus obtempero Phæbi :
Atq; urgente meas ex suo ueste humeros.
Si sit fas homini rectè parere monenti :
Cur non sit dios fas sequier monitus ?



Ad Virum Reverendum & Doctiss.
Dn. MARCUM MÖSERUM,
Neostad.

Unam pro geminâ prole cum
: Deo commutantem, Patrem
feliciss.

EN Deus ablatum duplô cum fœnore reddit !
MÖSERE, Eusebici vivide cultor agri:
Ille Tibi nuper Natam fatô abstulit unam :
(Quæ fuerat magno cura jocosa Patri)

Sed

Sed nunc illius funus Deus ille resarcit
Quam large ! Sexus duplice prole paris.
Quas Tibi nunc ambas ex fibris gratulor imus ;
Atq; Sibyllinos opto valere dies !
Et VOBIS liquido Tithonis æthere cassis
Oclorum emeritas claudere quando faces !
Pluria votivò dixisse carminis orsu,
Illi si audirem lustricus ipse Parens,
Et geminos rutuli soles de flore metalli
Ad reliquum legeres lustrica dona Patrum,
Ungarici vultus & nomen Regis habentes ;
Quos non Patroclis rogit avara manus.
Discite, qui testes ad sacras queritis undas,
EITHNERI quid sit præteruisse fidem.

Ad

M. ABRAHAMUM PARICUM,
Uterinum meum dile-
ctissimum.

PARICI, Aufoniæ medulla Peithus ;
Idem Neustadii caput Lycéi :
Fastorum fabricator Is meorum
Næ salsos sibi sibilos meretur ;
Hac qui luce legi volebat illud
Nomen CORNELII : & præire lucem,
Quâ lætis precium datur Magistris.

An non

An non aptius ante Septimanas
Tres hoc nominis ille collocasset?
Dum nobis vacui Scholæ Magistris
Ferali loculi fuere numo.

Ad

EUCLIONEM PLAUTINUM.

Et mirum, si conductus tibi CONGRIO coctū,
Euclio, defossas surripuissest opes?
NEUSTADII (en!) niveo sacratam tegmine
Fur audet medio despoliare die: (Mensam
Ut potè dum Templi custos ad tadia culpa
Campanæ miseros convocat ære reos.
Audacis nullus miror præcordia furis:
Miror caelestem sic latuisse DEUM.
An non Ætnéum misisset fulmen in illum;
Et tactum orcinis præcipitasset aquis?

Ad

NASUTUM,

Super illo VARRONIS dictioriō:
Omnes videmur nobis esse belluli
Et festivi saperde: cùm simus oīnq;.

B

Qui,

QVI, NASUTE, soles niveos audire colores,
Et tenues oculis s^ep^e videre sonos;
Quid me perficit^e proclamas frontis Alumnum?
Quod dixi effosam stercore GRISILIDAM.
No, NASUTE, mihi dum formas ora loquenti,
Vis puer Aonios erudiisse viros.
Quis PLAUT^O in Clariis hominum versatior hortu^s?
Stercore am Martis sed vocat ille manum.
An non erectum de stercore Regius Irum
Psaltes purpureos collocat ante Duces?
Et Homo factent^e liquidus de stercore succus
BERNHARDO, insigni de Pietate PATRI.
In nunc Palladii soboles, NASUTE, Thalétis
Ipse Tui luteum carpere principium!



Ad Virum Humaniss.
♂ Doctiss.

Dn. PETRUM MARCUM
Svidniciō - SiL.

Ludimoderatorem apud Wolav.
hodiē fideliss.

Facte recēns parii Dux & Lux, PETRE, Lycéi;
MARCE, Arpinati & Cercope plene thymō;
Sunt non una mihi causarum pondera vati,
Ob quas Te nostra^r lator adesse Schola.

Vis

Vis illas tacitō de promam pectore causas?

Est, quod me juris non sinit esse mei.

Ergo sufficiat dixisse è pluribus unam:

Quæ merito primum debet habere locum.

Hactenus Aoniam vitiosa licentia pubem

Monstratâ morum jussit abire viâ.

Hinc scio Te cunctos Rectorē intendere nervos,

Ad vetus ut valeas hanc revocare decus.

Sed quid si cuperent faciles odisse Parentes,

Et contracta tuæ carpere frena manūs?

Tu tamen erectâ cervice & pectore forti

Communis nebulas spernere perge gregis.

Qui cupid indocto Semper placuisse popello,

Quid vetet hunc doctis displicuisse Viris?

Non tamen hâc omnem despera a plebe favorē:

Est multus, qui Te nôrit amare, Pater. (nos,

Nam quî, quæso, potest nullos habuisse Patro-

Qui ritè oblatō fungitur officiō?

Ad L A M B I N U M.

Dicere quid fuerit bene, si bene-dicere nôvi,

Te, LAMBINE, bonô dicere dico sonô.

Sed melius nuper dixisses: tempore nôsses

Si DIXISSE bonâ dicere voce bonum.

Non bene VIRTUTEM, nimium qui dixerit:

ast hac

Prae Virtute malum dixerit Is VITIUM.

Hoc est, illius cecinit quod Musa Poëta:


• • Debet quis cunctis rebus inesse
modus.



Ad Dn.

PETRUM SCULTEUM,
P. L.

Quid, PETRE, ringeristuum,
Vitrum à tuâ Tibi coquâ
Fractum? immò in hoccé factum erat.
• • Nobis quod est moririer,
• • Vitris id esto frangier.



Ad

DN. JOANNEM TEICHLERUM,
Cantorem Wolav.
præstantiss.

Librum, quæso, meæ remitte Matri,
Quô passi miserias DEI querelas,
TEICHLERE, his meditatus es diebus.

Nam pro tempore cui bono esse
posset

Iste, non video, Tibi Libellus.

Immò

Immò & (Harpocrati quod esto dictum)
Solent nunc hebetem sovere nostri
Ex ætate memoriam Penates.



*In Promptuarium Mu-
sicum,*

DN. CHRISTOPHORI GRESERI,
Cant. Prausn. laudatissimi.

*S*ive alia efflate migrant in corpora mentes :
Ut voluit sapiens Pythagora Genius.
Non dubito, GRESERE, tuos migrasse sub artus
ORLANDÆ melicam MELPOMENES
Animam.

Hinc tot furanimos novisti fingere cantus :
Et fictos variâ psallere voce modos. (das:
NESERI harmonicas Taubmannus jactitet o-
GRESERI doctum Phœbus-Apollo melos !



In Album,
Viri - juvenis, quæ doctrinam, quæ
mores, elegantissimi

DN. CASPARIS TURBONIS,
Nobilium à Mordesen
Informatoris.

“ E Brietas animi speculum est; ut lami-
na formæ:

ut verbis utar, Clare COLUMBE, tuis.
Hoc si veracis folium sit, TURBO, Sybilla,

Næ nos eximis novimus ambo fibris.


Ipse Tibi qualis sim visus, nescio: Tu mi-
Vivida sinceri visus imago Viri es.

Utpotè credo tui secretum pectoris antrum,
Cum Fidiò triplices incoluisse deas.

Hinc es tranquillis olei tranquillior undis:

Hinc nigra dumtaxat, nigra vocare soles.

Et Tibi tam durum Charitum sit nomen Alu-
Sic aër Mulier mollis habetur anus. (mno?



Ad


F R I D E R I C U M T A U B M A N N U M ,
Poëtam seculi nostri
Principem.

“ N O N facile alterius sobolem tractaverit
aptè

Præceptor, sobolis nî sit & ipse Pater.

S;

*Si sicut hoc verbi Delphis, TAUBMANNE, profectum:
Dignus habere meos nescio discipulos.
O sit formosí dives mihi corporis Uxor!
Aptior & discam doctor & esse Pater.*


*Ad Virum humaniss. &
doctiss.*

DN. ANDREAM HOFIUM,
Wartenb. Sil.


*Moderatorem Schole Trebnicens.
Amicum certissimum.*

Mήτ' ἄφιλος, μήτε πολύφιλος.

Tot sibi XENOCRATES charos jactabat Amicos,
Ut satis his Darias esse negaret opes.
Non ego amicorum tantam desidero messem.
Sat mihi si Pylades unus & alter erunt.
Ne mea Mens pateat patulæ pro more tabernæ
Externâ cuivis de regione Viro.
Sit notus, concors, Clariis versatus in hortis,
Qui cupit hospitium Mentis inire meæ.
Ipsus ut Aoniis leviter sim tinctus ab undis,
Sunt tamen in precio nomina docta mihi.
Tu quia tale audis, ANDREA: Agè adesto cu-
pitum
Hoc vel in æternum pectus habere meum.

In Euthanasian,
M. ABRAHAMI PARICI,
Uterini mei.

Si pro cunctorum, mirer, tua metra palatō,
Metra super rapida nomine Mortis, erunt.
Tam multis ingrata hoc saclī mentio Mortis,
Ut jurem, aeternos vivere velle dies.
Tam multis saclī hoc ludo vox Mortis, ut esset
Futile Peligni fabula Vatis opus. (nni)
Otandem saperent! At Tu, dum vivis, in o-
Re, Vitæ & Mortis commemorisse studes.
Sic, ABRAHAME, sapis. Sapientia magna
profecto
,, Vivere: sed major, quem bene posse mori, est.



TUMULUS
*Viri humanissimi & do-
ctissimi*
BALTHASARIS SCHRÖERS,
Ludi Moderat. Wol. à pl.
annis meritissimi.

Siste gradum : & resonas emitte, VIATOR, ad
auras
Quos meret hic gemitus & lacrumas
Tumulus!
Insigne

Insigne Aônii SCHRÖER spectamen Alumni :

Idem Wolaviæ Duxq; caputq; Scholæ
Heic jacet ! immo jacent Tumuli hōc sub mon-
te sepulti

Cum tribus atq; novem Phœbus Apollo deis.
In primis jacet heic PIETAS, CONCORDIA, CAN-

Priscaq; cum verâ RELIGIONE FIDES. (DOR.

Insuper antiqui cordata Modestia vultûs :

Atq; hilaris Plauri concubat heic Genius.

Sed paucis; donorū hoc possidet omne sepulchrū,

Quod decet Aonium Christigenumq; Virum.

Quèi possis fccis discedere, LECTOR, ocellis ?

Cum videas gelidò tot BONA tecta solô.

T U M U L U S

M A R I A N Æ ;

Viri Clarissimi atq; Excel-
lentissimi

DN. M. CHRISTOPHORI COCHI,

P. L. C. & Med. WOL. pro
tempore felicissimi,

ut prima & unica, ita desideratissima
FILIOLE.

S Iste, VIATOR, & hoc madidis lege mar-
mor ocellis : (ci!

CHRISTOPHORI jacet hēic filia prima Co-
B 5 Quam

*Quam Mors oclavâ post sacrum luce lavâcrum
Hospitium ventris jussit inire sui.*

*Non tamen ætheriam potuit consumere mentē:
Sed supero oblatum hanc debuit ire DEO.
Qui quondam absumptam de Morte reposceret
Alumnam:*

*Atq[ue] hanc cum letō s̄istet honore Patri.
Hoc Deus ut celeret, mecū imō ex corde uoveto:
Atq[ue] tuā certus Mortis abito viam. (TOR:
Sed prius huic cineri quid florū sparge, UIA-
Sic Cineri hos reddet candida Flora tuo.*

Ad illud CLAUDJANI oraculum :
Omnia Mors æquat.

Rex & Plebs nullo Morti discrimine habentur:
Quo servus, parili jure fruetur herus.
Mors Crœsum cineres pariter concinnat & Irum:
Nempe pares ortu, sint quoq[ue] Morte pares.

Ad Effigiem,
M. NATHANÆLIS TILESI,
Past. Miletani CL.

Pictor Aristotelis picturus & ora Maronis,
TILESI ex mixtō hōc pinxerit ore VIRI.
IN

IN GALENUM.

Sæpè soles nostrum ridere, GALENE, dolorem,
Dextrum nocturnam lumen habere deam.
" Non est adflictis addenda adflictio Alumnis.
Ut pia divini Regula juris habet.
An non hæc tali res Phæbō dignior esset?
Si velles medicas applicuisse manus.
Dic; nescire tuis hanc noctem cedere curis:
Ergo infirma tuae robora nosce manus.
Qui nequit eversum de terrâ tollere currum,
Ne velit elatis insiluisse rotis.



Ad


M. JONATH. TILESIMUM,
Scholæ Neostad. Correct. dignissim.
Collegam & Amicum
mellitissimum.

TILESİ, Latiæ decus Minervæ;
Divesq; Ionicæ saliva Suadæ;
Vidi Pieriæ Virum cohortis,
Nostris qui caligis (per hoc ab ipso
Quæ tempus Syiciæ vocantur ortu)
Uti noluit: unam ob hancc causam,
Quod

Quòd quivis Parasitus : atq; Mimus,
Et calo, gloiantis ille turbæ
Verè - Milvius, uterentur illis.

Næ non unius assis æstimari
Hæc viri ratio mihi meretur.

Incedunt pedibus, sibiq; nomen
Mortalis nihili Viri merentur :
An hinc ire pedes ; sed & vocari
Sit bonis homines viris pudori ?



Ad

A D A M U M Langsfeldt
Cantorem Neostad. præstantiss.
Collegam itidem
& Amicum meum.

NO S bis SI BON A pessime, Vi ror um
In tantâ, ingeminâsse, concione
Herì, te salis instar intùs urit ?
Et factum cuperes tribus redemptum,
Vel sex, solibus optimi metalli ?

Langsfeldt/ si saperes, id omne me-
Atq; talia susq; deq; ferres. (cum,
Ecquid, quæso, novi? Ecquid artis
essem,

Deli-

Delirare, rogo, potesse nunquam?

Jurarent animam suam Coloni,
Musicos levis Artis esse gnos;

Seq; ipsos breviore posse tales

Esse tempore, quam faber fabilem

Binos calceet ad focum Caballos.



In Symbolum,

A R E T I è Liebenthal /
SIL.

DEUS EST SPES MEA UNICA.

CUR adeò dites speras, Rhypocondyle, cistas?

Quam tenuis citius bullula Pluto perit.

Marmoreis speras idem alta palatia crustis?

Magna levi crebro concidit igne domus.

Quantum agmen speras servorum? armenta
gregesq;

Quantos? cumq; his quot jugera, quata bov?

Heu! dura omnia. Sunt servi? sati undiq; litis:

Est pecus? hinc curae: rus erit? inde labor.

Num porrò egregiam magnâ cum dote Puellâ?

Forma pari pereunt, credito, dosq; gradu.

Vivere

Vivere longævi felices Nestoris annos
Expetis? ut reliqua spes simul ista cadet.
Non ego sic tecum spero: mea certior est Spes;
Nam MEA SPES DEUS EST UNICA? sem-
per erit.

Ad

DN. PETRUM SCULTEUM,
P. L.

Sermonis LATII, LATI leporis,
EN, SCHOLTZI, Tibi Principē remitto:
PLAUTUM intelligo, quem suum fatetur
Yates Leucoreus PÖETICUM COR.
At mitto simul his meis ineptis
Et fusis modò gratiam PHALEUCIS.

AD MARCULUM.

A Stronomæ cultor solers HELWIGIUS ARTUS
Prædixit minimo tristia fata gregi.
Scilicet obscenō gaudentes stercore porcas,
Lætag, tondentes dentibus arva capras;
Insuper hirsutis teneros cum matribus agnos
Ex astris veniens tollet ubiq lues.

Sed

*Sed quia monstroſi non hiſ numerantur Aſelli,
Ne timeas vita, MARCULE Aſelle, tua.
Scire cupis tanti quiſ ſit tibi nominis Autor?
Scilicet Isaſchar oſſeus eſt Aſinus. Gen. 49.*

AD DEMOCRITUM.

*Armatam magnō cernens de monte cohortem
XERXES largifluis ora rigabat aquis.
Utpotè qui doluit poſt paucos temporis annos
Affore tot juvenes funus & oſſa Viros. (rem,
Aſt Ego diuersū ſervo huic, DEMOCRITE, mo-
Quando hoſtes tacitā cogito mente meos.
Scilicet elatō ſoleo gaudere cachinnō,
Haec fore mox tenues pulveris ora globos.
Quos miſer hinc miſerō mactabo Carmine Uates
Communi inscribens talia verba loco:
Heic jacet innocuo nocuit quaē turba Poëta,
Reddita pulvereus omnia membra cinis.
Sic DEUS humanos novit compescere fluctus.
O dios, LECTOR, diſce timere manūs!*

DIALOGUS JUVENIS ET PUELLÆ.

*Conjugium juvenis placitæ promittit Amica.
Sed poſt promiſſum vult revocare ſuum.
Hinc*

Hinc efficta suô præsagit multa cerébrō
Triflia promissō fata futura thoro.

JUVEN.

O Virgo, Virgo! quæ te dementia cœpit?
Tuné meum gestis Sponsa subire jugum?

PUEL.

O frustrà gelidis sitientem pellis ab undis!
Ecce tuô levius nil solet esse jugô.

JUVEN. (etum,

O Virgo! En Domino proprium mihi nescio te.
Quò possem thalamum forte locare meum.

PUEL.

Sin nullum nobis dabitur conclave maritis:
Sub dio tecum nupta cubare volo.

JUVEN.

Ipse profecturus peregrinas Institor Urbes
Hoc merces dorsô cogar adire meas.

PUEL.

O Juvenis! quovis Conjux tecum iba: parata
Te magnâ fessum mole levare virum.

JUVEN.


O Virgo! Ecce sitię fameę peribimus! ambo
Nullius atq; loci, nullius atq; foci.

PUEL.

DI meliora! fameę sitię peribimus? uno
Nectar erit tumulō posse jacere duos.

Nunc

*Nunc mihi dic, LECTOR, num non sit ferrens
Qui possit talem deseruisse fidem? (ille,*



*Ad Magnum Musarum
Consultum*

F R I D . T A U B M A N N U M ,
*Poëtam ab ipso Phæbō
Laureatum.*

QUÒd nuper cupidum virum caninis
Nuptis pestiferâ esse glande dixi;
Hoc Vir MARCUS ille Virgo taxat;
Et me clamat ubiq; Præco Vatem
Castam Virginis exsuisse frontem.

O TAUBMANNE! Tibi joci Magistro
Quid, quæso, faciet joco- ille- Mastyx,
Quando hos fortè Tui leget Phaleucos?
" Non vastavimus ungue fascinatō
" Vel hortum Veneris, vel illud arvum
" Quod vult Pythagoras in orbe parvo,
" Quem vocant Hominem, tenere
centrum:
" Illam, dico, SEBASTIANE, notam,
" Humanæ sationis officinam,
" Nunquā nos, neq; tu, neq; ipse. sed st!

C O T A U B-

O TAUBMANNE ! Tibi joci Magistro
Quid, quæso, faciet joco- ille- Mastryx,
Quando hos fortè Tui leget Phaleucos?

PLUTARCHUS.

N*Igra velut nitidi lumen post nubila Phœbi*
Terrea majores spargit in arva faces :
Sic post placati sociales pectoris iras,
Firmior efficitur nodus AMICITIAE.

Ad illud Sibyllæ folium :
Laus Bonorum est onus malis
molestum.

Dlxerat occultus Bielceri nominis oſor ;
BIELCEROS ſolum me celebrare Viros.
Cui me fōrſ ſolido poſſem purgare Thaléti :
Inprudens cauſam verū agit ipſe meam.
BIELCEROES laudo ? plenos VIRTUTIS
EARTIS

Aſt illos hominum quis neget eſſe deos ?
Hinc ut Cor Cœli, quem Solem dicimus, anſam
Laudandi cuivis ſe dat ubique Viro :
Sic laudare bonis BIELCEROES Artibus Aucto,
Mortalis geminos eſt numerare pedes.

Ergo

Ergo quis sana nolle rationis Alumnus,
Pro magnō parvum pondere ferre jugum.
Inunc, si quis ades, Bielceri nominis osor,
Atq; hos me solum dic celebrare Viros.



N A T A L I
D N . G E O R G I C A L I S I
Wolà - Sil.
Amici mei certissimi.

C ALISI, pulchrum socii spectamen Amoris;
C ALISI, Aonii poter avare meri:
Si cupies Claria morem servare juventa,
NATALEM poteris sic celebrare tuum.
Primò ponentur generosi pocula Bacchi,
Quæ CRASSUM possunt exhilarare meum.
Et quæ rauosas scholicô de pulvere nubes
Autorem exsutum sanguinis hepar eunt.
Post letô socias pulsabit pollice chordas
Orpheus, ad nostrum qui solet esse chorum.
Et canet HAUSMANNI suaves ante omnia
Amores:

” Ut potè Cor gestit dissiluisse meum.
Tunc studiosa aderunt Musæ corcula pubis.
Sed tua præ reliquis adsit Amica deis.

Cum quibus alternas dabitur saltare choréas :
Atq[ue] harum longā colla fovere morā.
Dispeream, si non Romanæ Juppiter Aulæ,
Natalem vellet sic celebrare suum !
Quod superest, voveo NATALES Nestoris omnes
Ad similem possis concelebrare modum !

IN MOE VUM
nimis repentinō Poëticō
εὐθυτασμῷ af-
flatum.

N Unquā nectareas gustasti Phocidos undas :
Et tam nervosī carminis Autor eris ?
Est subitō Orator DEMADE ex remige factus :
Quid si ex Te simili, MOEVE, Poëta modō ?
Fortasse ! Ast Phrygius sub pelle leonis Asellus
Auritas nescit occuluisse plagas.

AD DEMOCRITUM,
Super illo Terentioraculō :
VERITAS ODIUM PARIT.

Quid, DEMOCRITE, me Tui Parentē
Ignotas cupias rogare causas ?
Quod

Quòd tantus fueris ad usq; fumus
In rubris Veneris, Bromiq; ocellis.
Uno id dixero & altero Phaleucō :

„ VERITAS ODII PARENTS & iræ
In tuis habitat Viri labellis.

Quid tum? Tu similis Tui per omnē,
O DEMOCRITE, semper esto vitam!
Certè (vox ea nonné nata Delphis?)

„ Cum magnō bona res honore causæ
„ Post multos etiam dies triumphat.

DAMNOSUM MENDACIS LUCRUM.

Scilicet hoc vano premium solet esse Sinoni;
Quod sibi falsi loquō promeret ore foris:
Ut dicenti etiam veracis verba Sibyllæ
Audeat immotam nullus habere fidem.



CICERO pro Q. Rosciō.

Ut rapidus liquidas Vulcanus jactus in undas
Omnibus extemplo viribus exsuitur:
Sic sparsa in justam famæ mendacia mentem
In longas nequeunt robur habere dies.

Ad Virum CL. & doctiss.
Dn. M. MICHAELM CÆLIUM,
Scholæ Swidn. Collegam
dignissimum &c.
Pro SIGISMUNDO STUBIO Wolâ- Silesio.

CÆLI, Philosophos flos nobilis inter Alumnos;
Idem Svidnicæ firma columnæ Scholæ:
Nempe BONA doctis fakturus MENTE Puellis,
Non potis est unas semper habere domos.
Sed velut Actæi populatrix ales Hymetti:
Sic solet hic varias per volitare plagas.
Quò possit Clariis plenô de floribus haustū
Musæa ad patrios mella referre Lares.
Hinc SIGISMUNDUS STUBIUS cognomine di-
Inter Wolavios natus & altus agros, (ctius,
Tandem Neustadiô voluit decedere Ludô:
PARITIUS mirâ quem regit arte tuus.
Postquam per ternas repetitô sidere brumas
PARNASSO hōc medium sub duce fecit iter.
Cujus ut aërium possit descendere culmen:
STIRIUS hoc tecum curet APOLLO decus!
An quoq; gratificâ Domini se pascere mensa?
Scansoris lassos ô animate pedes!
Sic Vos terna trias, & simplex triga sororum,
Divinis pascent ambrosia dapibus.

Viro

Viro- Juveni
Humanitate & doctrinā eximio

Dn. CHRISTOPHORO REUSNERO,
Phil. & LL. Stud.
J E N A fēliciter reverso.

N Empe meus rediit patrios REUSNERUS ad a-
Ille Medusæ potor avarus aquæ. (gros:
NUNCIE, tres rutili soles de flore metalli
Filia Majalis næ meret hæccé dei.
Sed vis hos largō promam tibi pollice numos ?
EUCLIO defossam cùm dabit ille animam.
Intereà Latiō veterum pro more potessunt
Hanc Evangelii vina referre vicem.
Ebria ferte cito generosi pocula Bacchi :
" Nam poscunt lātum nuncia lāta merum.
Sed Tu Dædaliae soboles, REUSNERE, Minervæ ;
Et vetus ingenuæ candor Amicitiæ :
Ad me maternō cupias invisere tectō,
Musarum & Genio sacrificare meo !
Sic nobis sanos gratari corporis usūs
Possumus : & variis nos animare jocis.
At Vos Phœbe, æthræq; Patres, diviq; Viales,
REUSNERUM ad nostros ducite, quæso, Lares!



